



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

§. 1. Historica Sabinorum descriptio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13120**

## CAPVT VII.

*De Sabinis, & Samnitibus prole Sabinorum.*

§. I. *Historica Sabinorum descriptio.*

N V M. I. *Nomen Sabinorum.*

**H**VIVS nominis etymologiae triplex ratio profertur :  
*Prima* est Festi atque Plinij, qui à cultu Deorum sic dictos esse arbitrantur, ἄπο τῆς σέβειας.

*Secunda* est Portij Catonis apud Dionys. lib. 2. à Sabino filio Sanci genij huius regionis, qui aliter dictus est Medius Fidius, & à quibusdam creditur Hercules. Hunc filium Sanci Silius Italicus Sabum vocare videtur.

*Tertia* est Catonis & Gellij quos Seruius citat, qui Sabinos dictos volunt à Sabo duce Lacedæmonio, nam Sabini ad Spartanos originem suam retulere, vt mox dicemus.

N V M. 2. *Origo Sabinorum.*

DE origine Sabinorum in opiniones aliquot scriptores antiqui distracti sunt.

*Prima* est Plutarchi in Numâ, Dionys. Halic. lib. 2. qui Sabinos Lacedæmonios origine faciunt, & primùm venisse ad campos Pometinos, & inde profectos sese indigenis permiscuisse credunt.

*Secunda* est Zenodoti Træzenij apud Dionys. loco citato dicentis, Umbros esse, & à Pelasgis expulsos venisse in hunc agrum, & Sabinos dictos esse.

*Tertia* est Strabonis libro 5. ἀπὸ Ὀπικῶν esse, & Opicæ gentis, vt sub initium huius libri diximus, & cum Opicis communem linguam habuisse.

N V M. 3. *Politia Sabinorum.*

PELASCORVM plerique in Sabinos transisse videntur, itaque eò pertinent quæ suprâ de Pelasgis obseruauimus apud Dionys. lib. 1. Sabini ex Amiternâ vrbe profecti Listam Aboriginum urbem cepisse dicuntur. Ad tempora vsque Romuli quomodo vixerint

incompertum. Tum autem in singulis propemodum urbibus Reges, quorum aliqui victi & cæsi à Romulo, bellis inter utrumque populum exortis ob raptas virgines Sabinas. Tum supra reliquos eminebat Tatius, qui pace compositâ cum suis Romam migravit, unde dicti Romani Quirites à Curibus vrbe Sabinorû, vt quidam autumant. Reliqui interim quievere, sed sub Tullo Hostilio, Anco Marcio, Tarquiniis Prisco & Superbo deuicti sunt; immo & sub Coss. diu Romanis restitere, & cum iis *οὐδὲ ποτε δάω* semper contendere: quantum autem cladis acceperint à Curio Dentato leges apud Florum lib. 1. cap. 14.

N V M. 3. *Fines Sabinorum.*

Si populi omnes ex Sabinis oriundi vnâ regione coercendi essent, iis & Picentes & quidquid inde populorum est (præter Volscos, & Latinos) ad extremam vsque Italiam, & fretum Siculum continerentur.

Sed recentes & veri Sabinorum hi limites fuerunt; *ab Occidente* Tiberi dispecuntur ab Etruscis; *à Septentrione* Nare Fl. & lineâ ducta ab vrbe Narniâ infra Oriculos ab Vmbris separantur: *à Meridie* à Latinis Aniene Fl. & mōtib; secundum Anienem procurrentibus: *ab Oriente* denique à Marfis Telonio Fl. à Vestinis & Pelignis, radicibus Orientalibus Apennini.

§. 2. *Geographica Sabinorum descriptio.*

N V M. 1. *Sabini trans Velinum, hodie vne partie du Duché de Spolete, & vne partie de l'Abruzzo vltérieure.*

V R-	REATE Græcis Πέατος Ciceroni & Festo Præfectura: vrbs dicata erat magnæ Matri. Huius tractus Asini laudantur à Plinio & Tullio, quod eorum vngulæ durentur aquis: hodie <i>Rieti</i> . Nursia: hodie <i>Norsia</i> , & <i>Nurcia</i> , frigida Maroni, vel ob venena, vel ob scelera. Vespasiæ non procul à Nursiâ; villa Vespasianorum, unde & eis nomen: <i>disparuit</i> . AMITERNVM, scriptoribus medijs xui Amiternus, inco-
B E S	
SABI-	
N O-	

H H h h ij